



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VIII. Doctores Beatam dicunt. Quia est Liber sapientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

g. Doctores Beatam dicunt.
Quia est Liber sapientiæ.

Virgini ita canit *Orientalis Ecclesia, desumpto à S. Joseph. Confess. cant. Men. 6. Martij.* Tibi intaminato recentissimi nitoris Volumini Sapientia Divina inscripta est. *Sabbas Men: 23. Aprilis.* Tu ò Genitrix Dei, Sapientiam cælestē in utero tuo comprehendens planè sapiens quoddam cœlum effecta es, per quam cœli sapientiam; facta sunt cœlum, & terra, ac denique omnia, quæ continentur in illis. *Et ibid. Græca Ecclesia 2. Julij.* Tu Fons exiitiss sapientiæ, undè Divina sapientia omnibus tui cultoribus perfruenda procedit.

Benè *Bernard. serm. Signum Magnum.* Maria jure sole perhibetur amicta, quæ profundissimā Divinæ Sapientiæ ultrà quàm credi potest penetravit abyssū, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccesibili videatur immerfa. Undè illam sapientiam *Moyfes* nactus, quā *Pharaonem* confutavit? populum rexit? nonnè Doctor ad *Rubum ardentem* inauguratus? qui erat Virginis symbolum. Ubi *Solomon* in Regem constitutus, nisi ad *Arcam*? quæ Virginem designabat. *Georgius Metropol. 24. Martij ode 5. in Men.* Esto paratus ò Divinæ munditiæ Liber! quippe tibi Spiritus S. digito inscribetur, Sapientia Divina, sed incarnata, quæ insipientiæ meæ prævaricationem tollat è medio! ò aureum item Candelabrum ignem recipe Divinitatis, ut per te illuceat in mundo, unaque iniquitatum nostrarum tenebras dissipet.

De Scoto illo Principe Theologorum Doctore Subtili *Hugo Cavellus* in vita ejus, quam præfixit ejus quæstionibus in libro sententiarū editis Antverpiæ apud Joannem Keerbergium anno 1620. sic loquitur *cap. 1. Noster D. Subtilis cognominatus Scotus*, dum humanioribus studet literis stupidum se, & planè hebetem (sicut revera fuit) animadvertens, quodam die sub arbore solitaria, Dei misericordiam pro hebetudine expellenda, & intellectu illustrando lachrymis & singultibus implorat, cui somno jam correpro, Regina cœli Mater Dei & hominis, Maria, præsciens juvenem futurum sui honoris, & immunitatis ab omni peccato actus, & originis, propugnatorem acerrimum; apparet, animos addit, pergere in studiis suadet, se ei scientiam ab infinita quam genuit Sapientia impetraturam pollicetur, modò sibi vicissim fideliter inservire promittat. Gratias ille gaudens agit, obsequium vovet. Expergefactus Virginea apparitione, totus latibundus sua studia prosequitur, Dei Matris beneficio sibi illustratum experitur intellectum, promissi memor, suum semper M. Virgini vovet obsequium, crescentibus in eo ad mensuram doctrinæ Sanctissimæ Doctrinis devotione & cultu.

De *Ruperto Abbate Tuiten:* simile narrat *Tribemius lib. de Monasterio Hirsaugiensi.* Adeò ille fuit tardi ingenij, ut nullo labore aptum ad studia se reddere

dere posset. Cùm ecce mærenti noctu se Virgo ostendit, & quæ erant à Ruperto postulata dedit. Undè statim factus Princeps Theologorum Germaniæ. De *Hermanno Contracto* haud dispar narratur. Hic de Comitum sanguine in Suevia oriundus, sed omnibus captus membris, factus monachus orabat, ut eo morbo liberaretur. Comparuit illi B. Virgo, deditque optionem, mallène sanus fieri, & rudis ut erat permanere, an morbidus omnibus scientijs insigniri? elegit hoc, & statim linguas, Græcam, Latinam, Hebræam ita percepit, ut si natus in ijs esset. Hic composuit illud *Salve Regina*. Huic non absimile de altero *Hermanno* Ordinis Prædicatorum Religioso, narrat *Ferdinandus à Castello lib. 2. cap. 22.* de rebus S. Dominici.

Notissima est de *Alberto Magno* historia, quem inhabilitas ad studia usque ad deferendum monasterium sollicitabat, quomodo in visu obtulit illi Virgo Philosophiam, & Theologiam, quarum priorem præelegit. *Illius tantùm orationem quam studiis solitis præmittere iuvat apponere.* S. Maria secundum nomen tuum Illuminatrix cæli, & terræ, quæ in multis de secretis Filij tui & verbis Dei Patris à sæculis in Deo absconditis, etiam Angelica lumina illuminasti, da mihi intellectum luminosum, conceptum stabilem, mentem tenacem, scientiam certam, sedem firmam, sermonem convenientem, qui me audientibus det gratiam, sermonem scilicet, qui sit ad fidei confirmationem, ad Ecclesiæ ædificationem, & gloriam nominis tui Filij Domini nostri Iesu Christi, ad perpetuam laudem & prædicationem tuæ misericordiæ, quæ in tam indignum peccatorem misericordiæ tuæ dona conferre non cessas, & proferendo per linguam potentia tuæ non cessas miracula operari. S. *Thomas Doctor Angelicus* quantum dicatus Virgini fuerit testimonio esse potest, quòd infans Salutationem Angelicam chartulæ inscriptæ, è terra sublatam avidissimè deglutiverit.

Quid *Udonens* è stupido trunco ingeniosum dono Virginis, sed ingratitude sua infelicem memorem? Quàm meritò itaque *Guerricus Abbas serm. 1. de Annunt.* In ipsa Virgine, & ex ipsa Sapientia ædificavit sibi domum, in ipsa ex ipsa paravit sibi thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptavit sibi, ita ad omnia perfectum & congruum, ut & domus sit ei ad quiescendum, & thronus ad predicandum, quòd primò tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum. Et *S. Anselm. hom. supra illud.* Intravit Iesus in quoddam castellum, sic adnotat. Christus teste Apostolo, Dei Virtus, & Sapientia est, in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Christus autem in Maria; ergo Dei Virtus & Sapientia, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in Maria. Cantus. Ubi legit vulgata. *Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis*

alis. paginus vertit. Quæ ædificata est ad docendum. Author sermonis primi super Salve Regina, apud S. Bernard. Origo fontium & fluminum mare, virtutū Auc̄trix, & scientiarum Scientia Sanctorum Maria, quam & olim superstes communicavit sine invidia, & postea varijs occasionibus, ut Divinitus communicaretur exoravit: ita ut quemadmodum in plerisque virtutum Auc̄trix, & in alijs Scientia scientiarum sanctarum methonimicè, atque efficienter sit deprehensa. Quod paucis comprehendit Andreas Cret. in salut. Angel. Speculum intellectuale contemplativæ agnitionis, Virginem appellando.

Scribit quod sequitur *Stanislaus Lubienius Episcopus* in serie Episc. Plocensiu, inter quos ille unus fuit, de *Jacobo* primo hujus nominis in ea Cathedra Episcopo. Hic dum adhuc Parochus esset Albæ Ecclesiæ prope Cracoviam, videretque se valde idiotam, nec curæ animarum sufficere, & ad literas quidem prosequendas deesse omninò impensas, S. Virgini rem seriò commendat, & dum pro more circa meridiem causâ orationis templum proprium, quod erat clausum ingreditur, in majori altari saccum pecuniæ invenit, quo adjutus, studia cæpit prosequi, & in doctissimum virum evasit: pro beneficio deinde Plocensi Ecclesiæ status justæ magnitudinis Salvatoris ac duodecim Apostolorum ex auro intulit. Obdormivit in Domino Anno 1423, Maij 27. Ita Mater S. non solum scientias, sed & scientiarum adjumenta confert.

Sed undè putamus maximo illi Oratori, *Joanni* inquam *Aurei oris*, illam eloquentiam affluxisse? Hic ab infantia S. Virgini impensè devotus. Virgo ipsa apud *Henricum Susonem* vitæ cap. 20. Cùm puer scholasticus esset, & ante aram se demitteret in genua, ibi ego ipsa in lignea imagine Filium suum in sinu meo lactavi, per eandem imaginem dixi Filio, ut paulisper cessaret, sineretque puerum antè dictum mea ubera sugere. Amat sapientiam sapientiæ, eamque fovet.

Audiamus quid scribat in ejus vita *Lucas Vadingus* de S. *Petro Thoma Patriarcha Constantinopolitano Ord. B. Mariæ de Monte Carmelo*. Hic dum Theologiæ studeret, in ea fuit egestate, ut nec vestitum, nec alia corpori necessaria undè compararet haberet; cum semel suas angustias S. Virgini proponit, & orat nè ob egestatem cogeretur studia abrumpere, Virgo Sancta se dat ejus conspectui, ac dicit: Fili mi nè te sollicitum paupertatis cura detineat, aut mæstum, quoniam te nunquam deteram, studeas alacriter. Filioque meo debitè semper inservias, ac mihi, his dictis disparuit. Postera die missam de S. Virgine dicit Petrus, ac ubi finivit, accessit ad eum vir quidam nobilis, apud eum peccata per confessionem depositurus, & facta confessione, sex Regia auri numismata impertitus est, & ab eo tempore Petrus nunquam sensit penuriam. Sed

Sed & ipsa Virgo S. aliquando egit Magistram. Certè de S. *Catharina Senens* in ejus vita scribitur. Quòd cum rudis omnia legendi prima elementa literarum magno conatu ediceret, nec multum proficeret, invocata SS. Virgine, subibit non tantum legendi peritiam accepit, sed etiam ad arduas difficilesq; Theologie quaestiones, quas ei interdum objecerunt eruditissimi, promptissime respondebat, & difficillima S. Scripturae loca interpretabatur. Eadem Dei Mater S. *Origenem. Ord. Erem. S. Augustini, & Socias illius* edocuit legere. *Poll. in Jan.* Eadem sine dubio mellifluum os Bernardi effecit, cum ei tres guttas lactis instillavit; quo suscepto laudes quam plurimas caelorum Reginae composuit. Ita *Chrysof. Henricus* in suo *Menologio* die 13. *Maij.*

9. Virgines Beatam dicunt, quia est
Theaurus Castitatis.

Chrysof. apud Metaphr. Quaecunque estis Virgines ad Matrem Domini confugite, illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem professionem patrocinio suo vobis conservabit. Venite etiam non Virgines, & et hoc Thesauro accipite castitatem. Ut *Richard. lib. 1. ejus vite.* Ex hoc & alio. Nam ut *Concilio Eptes. cap. 7.* Maria impollutus, & purus impollutae Virginitatis Theaurus, Decusque & Ornamentum. Ipsa enim ut ait *S. Joseph Confessor Men. 4. Jan. ode 3.* Cum ante partum, tum in partu semper illaesa Virginitate fultit Mater, & Virgo. Ipsa ut *S. Theophil. Men. 7. Jan. ode 1.* Virginitatis sacratissimum Templum. Ut *S. Damasc. 27. Jan. ode 5.* Super omnem castitatis perfectionem evecta, rubicunda & cocco tincta Virginitatis Rosa. Quia ut *idem ibidem ode 7.* Est Fons integritatis, munditiarum omnium Promptuarium. Ipsa teste *Spontio Cantic. 2. Liliu inter spinas.* Hoc est ut interpretatur ibi *Dionys. Carthus.* Illius respectu reliquorum Virginitas quasi spinæ videntur. Adeo ut *S. Sabbas 30. Jan.* dicat. Equidem tibi fulgens Angelus adstitit, sed Virginitatis tux fulgoribus adeo repercussus, ut tui splendoris admiratione, gloriolæ lucis suæ oblivisceretur, undè cum tremore salutationem peregit. Itaque docet *S. Romanus Diaconus in Men. 10. Febr.* Quòd Angelorum puritatem transcendat. Quidni & nobis eam impertiat. *S. Ambrosius* siquidem docet *lib. de instit. Virg. cap. 7.* Quòd videntis tanta erat ejus gratia, ut non solum in se Virginitatis gratiam servaret, sed etiam his quos videret integritatis insigne conferret.

Quod undè processerit, & quomodo factum facile intelliget, qui attendit quid dicat *Novarius lib. 4. elect. sum. 419.* Impura ipsa Angelorum puritas est
Virginea